

*Acta seu Effectum.* Ad quem ut veni complexus me senex collacrymauit aliquantoque post suspexit in cœlum, & grates, inquit, tibi ago summe Sol vobisque reliqui cœlites, quod antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno & his teatis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipse recreor &c.

*Euentus seu accidentia.* Cum cubitum discessimus arctior me somnus, quam solebat complexus est. Hic mihi Africanus se ostendit illa forma, quæ mihi ex imagine eius, quam ex ipso erat notior.

*Narratio vero alia est Poetica alia Historica.* Alii addunt etiam tertiam speciem videlicet ciuilis, sed hæc sub historica comprehendendi potest.

*Poetica* est quæ habet expositionem fictam. Eius illustre exemplum est 4. Metamorp. de Pyramo & Tysbe. Vbi primum *occasio & consilia*. Habebant contiguas domos, vnde occasio data est colloquendi per rimam parietis, quam statim consecuta est deliberatio de exeundo ad arborem Morum, quæ sita prope Ninis sepulcrum, vbi animi sui libidinem explere possent.

Deinde sequuntur *Acta*. Exeunt ambo noctu sed primo Tysbe quæ à leæna per ista loca transeunte perterrefacta, aufugit, relicto inter fugiendum velamine. Quod cum reperit leæna cruentali ore id lacerauit. Egreditur quoque postea ad præstitutum locum Pyramus.

Tertio *Euentus* exponuntur. Pyramus reperiens cruentam & laceram vestem Tysbes putans ipsam à fera quapiam dilaniatam proprio innitens gladio semet ipsum interemit. Rediens vero postea Tysbe, vidensque Pyramum morti vicinum ipsa quoque arrepto gladio mortem sibi consciuit.

Habet hæc narratio omnes superiores virtutes, breuitatem, perspicuitatem, probabilitatem & suavitatem eximiam, tum dispositionem ordinis naturalis æmulam.

*Historica narratio* est quæ rei gestæ continet expositionem. Tale est hoc de Crœlo.

*Occasio seu causa.* Cum Crœsus Lydiæ Rex in magnarum omnium affluentia viuebat, & potentia se nulli secundum existimabat.

*Acta seu Effecta.* Ideo cepit superbire & cæterorum imbecillitatem contemne-re. Ita plerique ingenio sumus omnes, vt vita cum fortuna prospera, etiam animus sese efferat & insolescat. Quare cum Cyrus excellens potentia & felicitate bellum Lydiæ inferret, permotus hac potentiae suæ persuasione, quam Cyri maiorem fuisse putabat Crœsus, cum eo aperto Marte dimicare non dubitauit.

*Euentus.* Sed vt stultitiae comes plerunque est calamitas; ita hic Crœsus quoque suæ arrogantiæ & temeritatis pœnas dedit haud leues. Captus enim in bello à Cyro in rogo flamma periisset nisi singulari clementia victoris liberatus fuisset.

Plura historicæ narrationis exempla passim habes, vt in Oratione pro Milone, Item lege Manilia, pro Ligario, pro Deiotaro & alibi.

3. Pro-